

§ 19. Augur fieri in Q. Metelli locum.

Q. Metellus Celer, unus e numero augurum, non ita pridem vita excesserat. Cuius in locum P. Vatinius auguratum petierat. Et hic proscindit audaciam eius, qui fuerit indignus et auguratum consequi et Metello 5 substitui.

§ 21. Et a tabula Valeria collegae tui mitti iuberent.

Hic collegae intercesserant P. Vatino iubenti M. Bibulum in vincla duci. Quod vero ad tabulam Valeriam 10 pertinere videatur, loci nomen sic ferebatur. Quemadmodum ad tabulam Sestiam, cuius meminit pro Quintio, ita et ad tabulam Valeriam dicebatur, ubi Valerius Maximus tabulam rerum ab se in Gallia prospere gestarum proposuerat ostentui vulgo. 15

Consul populi R. moderatissimus sublato auxilio, exclusis amicis, vi perditorum.

Congesta . . . Magnum cumulum fecit invidiae et a persona, quod consulem, et ab eiusdem moribus, quod prohibito amicorum praesidio et per violentiam seditiosae 20 multitudinis opprimere conatus sit eum potissimum, qui auspicato et rite omnia fieri gestiebat.

§ 22. Ut consuli domus exilium esse non posset.

Non tantum miserabilem fecit hac necessitate M. Bibulum, verum etiam summa invidia laceravit Vatinium, 25 qui velut damnatam consulis maiestatem primo in latebras coegerit, deinde occultantem se, ne periculum salutis incideret, extrahere domo sua contenderit, ut perditorum manibus addiceret nec habere consul exilium domi suae tutum posset. 30

§ 23. Eam rem <p.>, quae auspiciis constituta est.

